



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Constantino & exercitu Honorii, de Edobicho Duce, & quo modo is ab
Vlphila Constantij duce victus, & fuga dilapsus ab Hospite ingrato
obtruncatus sit. Capvt XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

*De Constantino & exercitu Honorij, de Edo-
bicho Duce, & quo modo is ab Vlphila
Constantij duce victus, & fuga dilap-
sus ab Hospite ingrato
obtruncatus sit.*

CAPVT XIII.

Constantinus autem circumfidente adhuc Hono-
rij exercitu obsidionem tamen sustinebat, quod il-
li nunciatum esset Ebodichum cum maximis suppe-
titijs aduenturum. quæ quidem res & Honorij quoque
duces non modicè terrebat, ita vt in Italiam reuerti &
illic bellum experiri vellent: Atque hoc vbi statuissent,
quia appropinquare iam nunciabatur Ebodichus, Roda-
num fluiuium traijciunt, & Constantius secum pedites re-
tinens aduentantem expectat hostem. Sed Vlphilas Con-
stantij præfectus haud procul istinc in insidijs cum equiti-
bus latitat. Postquam igitur hostes cum exercitu Vlphi-
lam prætergressi pedem iam collaturi essent cum militi-
bus Constantij, dato signo repente prorumpens Vlphi-
las hostes à tergo inuadit. Et facta statim ordinum per-
turbatione, alij diffugiunt, alij occiduntur, plurimi au-
tem positis armis veniam precantur, & misericordiam con-
sequuntur. Ebodichus autem equo conscenso fugit in
agrum quendam ad Eedicium, qui plurimum fuerat ab
ipso consecutus olim, quemque Ebodichus sibi ob acce-
pta beneficia amicum arbitrabatur. Atque is caput eius
amputatum ducibus Honorij attulit, spe magnorum mu-
nerum ac dignitatum: Constantius autem Caput quidem
accipi iussit ac gratias Eedicio agi Reipub. nomine qui
Vlphilæ officio functus esset. Sed cum in exercitu rema-
nere vellet eum excedere iussit, nequaquam vel sibi vel
exercitui faustam fore ratus hostitis tum ingrati presentia.
Atque is quidem hominis amici ac hospitis in calamitatè
delapsi impijssimam cædem ausus, in vanum, vti dici so-
let, hians, recessit.

Quo